



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**


**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

Disquisitio X. De Ecclesiasticarum Dignitatum gradibus ac præminentijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

Iatensis Episcopi, aliquam juris Patriarchici partem ambientis, neminem debere jus in debitum in alios Episcopos usurpare, neque posse Episcopos propria dignitatis jura in alium transferre, & ad sanctam Sedem pertinere, hujusmodi usurpationem calligare. Alienum jus, inquit S. Leo, alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis, sit unusquisque contentus, & privilegium sibi debitum in alium transferre se posse, noverit, non licere. Quod si quis negligens Apostolicas sanctiones, plus gratia tribuens personali sui honoris deservit esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is, cui cesserit, sed is, qui inira Provinciam antiquitate Episcopali ceteros prevenit Sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem.



DISQUISITIO X.

§. I.

De Ecclesiasticarum Dignitatum gradibus ac praerogativis.

De Hierarchico Ecclesiae statu.

Svb isthac Disquisitione fiet discussio argumentorum ac Exceptionum, quae Ludovicus Ellies du Pin sacrae facultatis Theologicae Parisiensis Doctor in sua circa antiquam Ecclesiae disciplinam Dissertatione 1. digessit.

Præfatio.

1. IN refutandis praesensuatis seu argumentis, seu Exceptionibus Elliesianis reflexionem faciemus ad duo, per eundem auctorem in suo praeloquio exposita principia: quorum unum in eo se tenet. Nempe omnem hominum societatem, ut sit firma & stabilis, debere aliquam regiminis formam temperari: si namque homines sine ulla legibus inter se coeant, nullaque certa ratione regerentur, sed cuilibet, prout libuit est, suis moribus vivere liceret, necessum fore, societatem primam immunitis turbis, bellisque confundi, ac tandem penitus dissolvi. Cum ergo Ecclesia sit societas hominum fidei Christi profitentium, necessum fuisse, ut aliqua forma regiminis in ea constitueretur, quam, licet pro varia temporum ratione non parum immutata fuerit, suas semper leges habuisse, primam innotas per consuetudines, deum communi consensu receptas, ac demum Synodorum decretis confirmatas. Quemadmodum quarto praefertim Ecclesiae saeculo factum fuerit.

2. Alteram in hoc puncto Elliesij principium sic se habet. Apostolorum scilicet Ecclesiae nascentis initio, in illud solummodo incubuisse, ut fidem Christi per totum Orbem spargerent, singulisque Ecclesijs Episcopos, qui eas regerent, praefecisse, nondum sollicitos de exteriori politia. At post disseminatam per totum Orbem Christi fidem, cogitari ceptum esse de Ecclesiarum inter se invicem communi ac societate, nec non de exteriori regiminis forma. Sic Ioannem jam senescentem videri, aliquam Ecclesiarum astra formam constituisse. Cuius exemplum secutos veros Apostolicos, mirum in modum exornasse hanc spariam: rem deinde ad se in consuetudinem, quae pro lege tum erat: ac demum, cum Religio Christiana sub Con-

stantino externum accepit splendorem, Synodorum decretis confirmatas esse veteres consuetudines, nonnullis quoque novis legibus sancitis: quibus deinceps pro varia temporum ratione additum, vel detractum fuisse, donec longa saeculorum successione ita sunt immutata, ut vix agnosci queant. Hoc tamen pro certo esse habendum, optimam ac convenientissimam fuisse disciplinam, quae quarto Ecclesiae saeculo sancta est, semperque fuisse mentem Ecclesiae, ut illa, quantum fieri posset, servaretur. Huius igitur duplicis principij accuratorem discussionem facimus, ad huc de statu Hierarchico Ecclesiae, seu forma ac distributione Ecclesiarum ex varijs Episcoporum gradibus, ac Patriarcharum, Metropolitanarumque praerogativis subsistente. Post cuius rei discussionem expendemus: An Metropolitana, aut Patriarchica dignitas fuerit instituta a Christo, vel Apostolis?

PRIMO. Hierarchia Ecclesiastica habetur dilucidè exorta ab Apostolo Roman. 12. v. 4. ita differente. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro. Si proinde de corporis humani ex membris adeo diversis coalescentis forma, sit quaestio, multiplicem huius unitatis rationem reperies, partim in mutua membrorum activae ac passivae communicationis coordinatione, partim in organizationis corpus heterogeneum constituentis integrali coadunatione, partim in formae vitae substantiali universis membris impertientis unitate. Illam igitur similitudinem ab Apostolo praeritato hierarchicum Ecclesiae corpus, cum organico corpore humano comparante inductam, hinc verbis ulterius explicat Paulus, asseverando ibidem, quod fideles sint quidem in Christo unum Corpus, attamen singuli sint alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praest in sollicitudine.

Secundò. Quod si igitur de Ecclesiae membrorum mutua inter se, tum activae, tum passivae communicatione sit sermo, affirmandum est, passivam, seu influxus Ecclesiae susceptivam, in Sacramentis recipiendis capacitatem, subsistere ex caractere Baptismali: activam verò communicationem in conferendis Sacramentis sitam esse in potestate Sacramenti Ordinis, cui annexa est communicatio gubernativa, quae prodit ex iurisdictione Ecclesiastica, diversis gradibus distincta, nempe Apostolatus, seu Summi Pontificatus, Patriarchatus, sive Exarchatus, Metropolitanatus, seu Archiepiscopatus, & simplicis Episcopatus. De cuiusmodi adeo gradibus proximè differemus.

Z. z. z.

§. II.

ritas  
dra  
tica

## §. II.

## De prainsinuatibus Episcoporum gradibus.

DE his differit Ellicius præfenti 1. *Dissertatione à §. 1. usque ad 6. §.* Cujus summariam seriem hic afferemus, omni præcisâ concertatione.

5. *Primo* igitur Metropolis ex græci nominis etymo, significat primam & præcipuam cujusque Provinciæ urbem, veluti reliquarum matrem. Quo sensu S. Athanasius in *Epist. ad solitarii degentes Romanam* vocat totius Romanæ, id est, Imperij Metropolim. Quo insuper sensu Synodus Nicæna *can. 4.* Metropolitanum dicit illum Episcopum, qui primæ urbi alicujus provinciæ præpositus est, ac propterea in cæteras Provinciæ hujusmodi Ecclesias specialibus fruitur privilegijs ac juribus. Erant tamen antiquitus aliqua solum nominetenus Metropoles, nullum obtinentes jus Metropolitanum, sed honorem tantummodo; quemadmodum Nicænus Episcopus *actione 13. Concil. Chalcedon.* obtinuit nomen Metropolitanum; quamvis cæteris provinciæ Episcopis honore duntaxat fuerit præpositus; uti fusiùs iithæc traduntur ab Ellicio *præfenti §. 1.*
6. Porro Archiepiscopi nomen ipsi quandoque Romano Pontifici, vel Patriarchis adtribuebatur: successu tamen temporis id ipsum nomen sibi vendicabant insigniores quidam, simplices licet Episcopi, nullis poriunt Suffraganeis: at plerumque usurpatur jam de Metropolitis universis; uti latiùs hoc prosequitur Ellicius *præfenti §. 2.*
7. Antiquioribus præter eà temporibus Metropolitanus vocabatur Primas Provinciæ, uti liquet ex ijs, quæ Ellicius *loco citato* deducit, animadvertens *ibidem*; posterioribus sæculis cœpisse Primatum distingui à Metropolitanum, dum scilicet plures magnarum in Occidente urbium Episcopi, quibus aliqua supra cæteras Ecclesijs prærogativæ sunt attributæ, hunc titulum fuerunt consecuti.
8. *Secundo.* Metropolitæ majorem in Ecclesiâ dignitatem obtinebant Exarchi, uti clarè evincitur ex Concilij Carthaginensis *17. Can.* quo deccenitur in hæc verba: *Si quis injuriâ afficiatur à proprio Metropolitanum; apud Exarchum Diocesis, vel Constantinopolitanam sedem litiget.* Ubi, uti in alijs quoque Canonibus, nomine Diocesis non venit unius tantum Episcopatus; (quemadmodum hodie accipi solet) sed plurium Provinciarum districtus. Exarchus igitur propriè is est, qui Diocesi, hoc est, pluribus Provincijs præest: quamvis apud Græcos titulus Exarchi, quibusdam etiã Metropolitanis, imò Abbatum quoque Primicerio attributus fuerit, veluti Ellicius *præfenti §. 4.* fusiùs ostendit, *sequenti §. 5.* demonstrans insuper, Exarchos intelligi nomine Patriarchatum: qui olim ternario complectebantur numero, Romanus scilicet, Alexandrinus & Antiochenus Patriarchæ, juxta Concilij Nicæni *6. Canonem* ita sonantem:

*Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libanum, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus eorum omnium habeat potestatem, quia & Verba Romæ Episcopo pariter mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias sui privilegia serventur Ecclesijs. Plura de Patriarchæ nomine videri possunt apud Ellicium *cit. §. 5.**

*Tertio.* Mirari quis posset, cur in prædictis Nicæno Canone Episcopus seu Patriarcha Alexandrinus cœquetur cum Episcopo Urbis Romæ. Sed admiratio hæc statim cessabit, si cum Ellicio in *admonitione ad Lectorem super pag. 18.* obliervetur, hanc comparationem fieri duntaxat quoad jus Exarchicum, seu Patriarchatum, non verò quoad Primatum, quem Romana Sedes habet à Christo. Sicuti ergo Primatus Romani Pontificis ambit totum Christianum orbem, sic ejusdem Patriarchatus ex constitutione SS. Canonum, est circumscriptus limitibus Provinciarum sububicariarum; de quarum extensione, vel coarctatione fusiùs agit Ellicius *præfenti Dissert. §. ultimo à pag. 87.* Nobis autem sufficit hic commemorari, quòd Symonides Patriarchatum Romani Pontificis per totum Occidentem porrigi, probet Græcorum, speciatim Zonaræ & Balsamonis confessionibus, juncto Divi quoque Hieronymi testimonio: quamvis hoc refutet Ellicius *præfenti §. 11.* quòd Lectorem remitto: cum nostro instituto haud conveniat, hinc immorari.

*Quarto.* Prænominitis tribus Patriarchis successu temporis jungebantur alij duo, nempe Constantinopolitanus, ubi hæc ubi cœperat, esse Imperatoria Sedes, nec nã Hierosolymitanus Episcopus ob singularem ex Christo, redemptionis nostræ opus ubi peractæ, prædicationisque Evangelicæ ibidem inceptæ honorem ac reverentiam, cui proinde in Concilio Chalcedonensi *actio 7.* pro sua Diocesi tres assignatæ fuerunt Provincie, relictis Antiocheno Orientis Diocesi obtinenti duabus Phænicis & Arabi. At Constantinopolitanò Patriarchatu per Synodi Constantinopolitanæ, atque Chalcedonensis Canones attributa est jurisdictio in Pontum, Asiam & Thraciam; uti hæc multis prosequitur Ellicius *cit. §. 11.* animadvertens *eodem in loco;* Ephesinum quoque, ac Cæsariensem Episcopos aliquid, præ cæteris Metropolitanis habuisse privilegij, & Diocesium suarum Patriarchas ac Exarchos fuisse.

## §. III.

## De juribus &amp; prærogativis Metropolitanorum, atque Patriarcharum seu Exarchorum.

Ellicius *præfenti §. 12. & 13.* rectè saponit, Primatis ac Metropolitanis, atque Patriarchæ jura & privilegia duplicis esse generis: nimirum honoris & potestatis: subditque, honoris præminentiam esse clariorè, quam ut indigeat explicari; at potestatem jurisdictionis consistere in tribus, nempe in jure ordinationis Episcoporum provin-

cia, seu Metropolitanorum Dioceseos; in facultate convocandi Concilij Provincialis, seu Diocelani, & insuper in inspectione super univervam Provinciam, aut Diocelin, ut fides & disciplina in ea servetur.

Primò. Jus ordinandi Episcopos Provincie in Metropolitanò hinc describitur à præsitato Elliesio. Nempe Clerum & populum urbis, cujus Episcopus modò defunctus erat, elegisse Episcopum: quia verò fieri non poterat, ut in eligendo non parum errarent, hominemque Sacerdotio indignum promoverent ad tantam dignitatem; ideo electiones examinandas & discutiendas fuisse ab illo, à quo debuerat ordinari. Quoniam verò magna fuisse orta turba, si cuius passim Episcopo licuisset Episcopum noviter electum ordinare, idcirco statutum fuisse, ut Episcopi electio confirmaretur ab Episcopis Provincie, præsertim verò à Metropolitanò. Hic igitur, ubi electionem secundum Canones factam, electumque Sacerdotio dignum esse, intellexerat, simul cum Episcopis Provincie illum ordinabat; veluti hoc jus Metropolitanum probatur ex Concilij Nicæni canone 4. & 6. Item Concilij Laodicensi can. 12. & Concilij Carthagenis can. 12. nec non Chalcedonensis can. 25. variisque Summorum Pontificum testimonijs, adductis à præallegato Auctore.

Quibus tamen minimè obstantibus, Pontifices Romanos succedentibus temporibus jus ordinandorum per univervum Occidentem sibi vindicasse, fatetur idem Elliesius, asserens, Metropolitanicæ ordinationum jura Romanos Pontifices ad se trahere conatos esse per concessionem Pallij: eò enim datum fuisse Pallium à Pontificibus, ut Metropolitanis possent plenà autoritate suæ Provincie Episcopos ordinare. Dein ad Pontificem Romanum devolutas esse appellationes judiciorum, quæ à Metropolitanis lata erant circa controversias exortas in electionibus. Insuper si Electores fuerant negligentes, aut si hominem minimè idoneum elegerant, devolutam esse electionem ad Romanum Pontificem. Ad hæc Romano Episcopo reservatù esse jus admittendi cessiones Episcopatuùm, decernendique translationes & coadjutorias, cum futurà successione. Denique confirmationem electionum omnium Episcoporum concessam esse Romano Pontifici, atque jus istud confirmatum esse Concordatis: quantumvis ad XII. usque sæculam Metropolitanis in Gallia jura sua intacta conservarint.

Secundò. Quoad Jus convocandi Concilij provincialis, rem in Metropolitanò ita se habere, pergit præsitatus Elliesius pag. 69. Cùm scilicet Ecclesiasticæ Provincie negotia in commune essent tractanda & tamen sine Episcopo Metropolitanò nihil fieri posset, ideo hujus fuisse, locum, & tempus Synodi indicere, & ad eam convocare Episcopos Provincie, quod minù rectè ab alio fieri potuisset. Hoc ergo etiam ante Concilium Nicænum ex

consuetudine verisimiliter habuisse Metropolitanum: et post Concilium Nicænum à Antiochenà Synodo cap. 20. id jus apertè fuisse delatum Metropolitanò. Quin etiam Cononibus, Synod. Laodicensi 40. Ecclesie Africane 7. & Concilij Chalcedonensis 19. sancitum fuisse, ne Episcopi à Metropolitanò vocati venire recusarent, pœnis etiam in contumaces latis.

Tertiò. Jus inspectionis super totam Provinciam Metropolitanò, juxta præallegati Elliesij §. 12. inferebat generalem curam, ut omnia secundum Canones, rectèque ordinem fierent, utque Provincie Episcopi suo fungerentur officio. Quà de causà veterum fuit Episcopis Can. Apostolorum 34. & Antiocheni Concilij 9. aliquid majoris momenti sine Metropolitanorum auctoritate & consilio gerere. Quæ proinde inspectio ad varia extenditur. Metropolitanus namque est Judex Episcoporum suæ Provincie, dissidiarumque Ecclesiasticorum, quæ sunt adversùs ipsum Episcopum: quo tamen munere non solus, sed simul cum Synodo Provincie fungitur, juxta Concilij Chalcedonensis canonem 9. & 17. Item Concilij Carthagenis III. can. 6. & 7. Metropolitanus pariter cum Synodo judex est appellationum, quæ fiunt à sententiâ Episcoporum. Ex Concilij Nicæni can. 5. Antiocheni can. 12. & 20. Sardicensis can. 17. & Carthagenensis II. can. 8. Quòd si propter negligentiam, aut malitiam Episcopi sui, Ecclesia patiatur detrimentum, Metropolitanus cura extenditur ad bona etiam temporalia, juxta can. 11. septime Synodi. Nec porro sine Metropolitanis approbatione licere Episcopo ab Ecclesia sua discedere, sancitum habetur in Antiocheno Concilio can. 11. & 13. Item Sardicensi can. 7. & 96.

Quartò. Patriarcharum seu Exarchorum potestas & jurisdictio pariter extendebatur ad ordinationes Metropolitanorum, atque ad facultatem Synodi Dioceseon convocandi, & ad aliquam super Diocelin univervam inspectionem. De quo primo Patriarcharum jurè Elliesius præsentis §. 13. falius tractans asseverat, id nec antiquissimum esse, nec ubique observatum. Olim enim Metropolitanos ab Episcopis comprovincialibus esse ordinatos. Sed quia post mortem Metropolitanis inter Episcopos comprovinciales nullus occurreret majoris autoritatis, à quo possent dissidia inter provincie Episcopos forsan oritura componi, procedente tempore consuetudinem hanc invaluisse, ut post electionem Metropolitanis à Clero & populo, itemque post confirmationem ejus ab Episcopis comprovincialibus factam, Patriarcha totius Diocesis acciretur, ut is Metropolitanum consecraret. Cujusmodi jus in Concilio Chalcedonensi unà cum Patriarchatu concessum esse Constantinopolitano Episcopo. Idem de Antiocheno Patriarcha affirmari ab Innocentio Papa epist. 16. ad Alexandrum Antiochen.



De Alexandrino & Romano Patriarchis rem extra dubium esse, utpote qui non modò Metropolitanos, sed uniuersos Patriarchatus sui Episcopos ordinassent. Jus porrò ordinandi Metropolitanos intrà Palæstinam *actione 7. Concil. Chalcedon.* delatum esse Ierosolymitano Præsuli. Ipsos denique Patriarchas solitos fuisse ordinari ab Episcopis ex Diocesi uniuersa, præcipue uero ex ea provincia, cujus Metropolis erat Patriarchalis sedes, convocandis. Qua de re plura uideri possunt apud Eliesium *præsenti §. 13.*

17. *Quintò.* De posterioribus Patriarcharum prærogatiuis, Concilij scilicet convocandi potestate, & super totam Diocesim inspectione, obseruat Eliesius *in fine dict. §. 13.* uix ullam posse difficultatem esse. Nam statim, atque recurus datus est à Synodo Provinciae ad Synodum Diocesanos, uelut in Concilio Chalcedonensi *can. 9.* extat sancitum, haud fuisse dubium, quin Patriarchæ jus habuerint, Episcopos ad Concilium invitandi. Cætera uero iura inspectionis, seruatà eadem proportione, ita competere Patriarchæ super Diocesim, sicuti Metropolitanò conueniunt supra Provinciam. Nullum porrò Patriarcham habuisse maiorem in suâ Diocesi potestatem; quam Alexandrinum. Nam præter omnium Episcoporum ordinationes, adeo fuisse ab ipso dependentes ceteros Episcopos, ut nihil maioris momenti sine ipso facere auderent. Hinc in Concilio Chalcedonensi *actione 4. Aegypti* Episcopos adeo enixè obtestari Patres Concilij, ne ad subscriptionem fidei sine Archiepiscopo adigantur, quia extra sententiam & iussum ipsius nihil eiusmodi facere poterant.

## §. IV.

An Metropolitana, aut Patriarchica dignitas fuerit à Christo, uel Apostolis instituta?

18. **D**uas hæc dere sententias profert Eliesius, *cit. Dissert. 1. §. 6.* Sunt enim, inquit, nonnulli, qui Metropolitanicam & Patriarchicam dignitatem uelint à Christo institutam fuisse: alij uero ab Apostolis id factum esse, autumant: quam sententiam tuetur Petrus de Marca. Placeat proinde in primis uidere, in quo censu prædictas sententias habeat ille Theologus.

19. *Primò.* Metropolitanicam, aut Patriarchicam dignitatem à Christo institutam fuisse, ad instar meri commenti, omni uerisimilitudinis umbrâ carentis habet *prædictus* Eliesius ex sequenti argumento. Christus enim extra Judæam non prædicauit, nec ulla Gentilium urbes, quamdiu uixit, uel per se, uel per suos ad fidem conuertit. Dici ergo non potest, eum de facto Metropoles & Patriarchias instituisse.

20. Si affirmetur, Christum Apostolis præcepisse, ut post conuersionem gentium Metropolitanos & Patriarchas instituerent: hoc etiam gratis fingit, contendit idem Eliesius,

cùm nullum eiusmodi præceptum sive in sacris Litteris, sive in antiquorum Patrum monumentis extet. Exordiendo namque à primâ Ecclesiæ institutione, Apostoli præcipuis orbis partes peragrârunt, nulli aut urbi, aut loco ad dicti. Apostolis plures accessere comites ejusdem laboris ac ministerij participes, quales erant Paulus, Barnabas, Crescens, & Thimotheus: qui Ecclesias innumeras fundarunt, & ut inquit Clemens Romanus in *epistola ad Corinth.* tam eorum, qui crederent, quam qui credituri erant, Episcopos & Diaconos constituerunt. Ubi uero illi è uiris excessere, qui ab ipsis Apostolis constituti erant, in defunctorum locum ab alijs celebribus uiris cum consensu totius Ecclesiæ uel tum Episcopi, tum ministri constituti sunt, quin legatur, fuisse uel Metropoles, uel Patriarchias erectas.

*Secundò.* Pergit Author *præsatus*, fatendum quidem esse, Apostolos in aliquibus locis diutius esse demoratos, uel quia ita placebat Ecclesiarum illarum, in quibus degebant, status, uel quia iam senio confecti, satis multas Ecclesias fundarunt. Sic namque Ioannes extremo uitæ tempore substitit Ephesi, unde Ecclesias Asiæ regebat, ceteris Episcopis Apostolicâ dignitate superior: uel denique quia Ecclesias quasdam præ ceteris elegerunt, in quibus mori uoluerunt, ut Petrus & Paulus Romanam. Negari quoque non potest, quin Apostolis ceteris, quos constituerant, Episcopis quodammodo superiores fuerint, ut de Paulo uidere est, qui Corinthios tantè reprehendit auctoritate. Verùm de his non est quæstio, sed hoc unum controvertitur *Utrum* Apostoli aliquibus Ecclesijs à se fundatis, illarumque Episcopis peculiaria quedam, ut privilegia præ ceteris, & in ceteris concesserint, illarumque Patriarchatum, Exarchatum & Provinciarum diuisionem instituerint?

## §. V.

Argumenta Petri de Marca circa Metropolitanicæ & Patriarchicæ dignitatis ab Apostolis factam institutionem constanter ab Eliesio.

*Primò.* Hic Præsul Parisiensis *lib. 6. de concordia cap. 1.* contendit, Apostolos Orbem Ecclesiasticum in Provincias distribuisse ad exemplum dispositionis civilis. Copias asserti sui probationem desumit ex auctoritate sanctorum Petri & Pauli, quorum primus scribens ad novos Christianos *Epist. 1. cap. 1.* compellat eos per Provincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ & Asiæ; alter uero distinguit Ecclesias Macedoniæ, & Asiæ.

Verùm Eliesius *cit. §. 6.* reponit, hanc probationem non probare, Ecclesiarum in Provincias distributionem ab Apostolis institutam fuisse: sed tantum distinctas fuisse Ecclesias, propter distinctionem Urbium & Provinciarum. Ecclesias quippe nihil aliud esse, quam fideles; cùm ergo fideles in va-

rijs provincijs degerent, non potuisset Petrum melius designare illos, ad quos scribebar, quam Provinciarum istarum nominibus.

24. *Secundò.* Idem de Marca loc. cit. asseverat insuper, Apostolos, cum Ecclesias distribuissent in Provincias, habuisse in animo, ut in ijs Corpus Episcoporum statueretur sub præsidentia Episcopi Metropoleos. Probat id ex illo Pauli Epist. ad Titum. cap. 1. Reliqui te Crete, ut constituas Presbyteros. Quibus verbis putat Marca, probari Metropolitanam institutionem.

25. Verum Elliesius admodum levem dicit isthanc rationem. Si quid enim valeat, probabit, Apostolos Metropolitanos fuisse illarum omnium Provinciarum, in quibus Episcopos ordinabant. Sed posito, Titum præsuisse toti Insulæ Crete, hinc tamen inferri nequit, Metropolitanam dignitatem ab Apostolis institutam fuisse, hoc enim privilegium erat Tito peculiare, nulli Sedi, aut Urbialligatum. Adhæc non est omnino certum, Presbyteros illos à Tito institutos, fuisse Episcopos, sed unicus fortassis in Crete Titus erat Episcopus, cæteri omnes Presbyteri tantum. Nec refert, quod Paulus Presbyteros istos statim dicat Episcopos, nomen enim Episcopi tam potest convenire Presbytero coram animarum habenti, quam nomen Presbyteri Episcopo.

26. *Tertiò.* Præactam intentionem suam conatur Marca ulterius ostendere ex eo, quod in Asia quondam fuerit Corpus Episcoporum in modum provinciarum; uti colligitur ex Apocalypsis cap. 1. ubi litteræ scriptæ sunt septem Angelis, seu septem Episcopis Asiæ, quorum unus erat Ephesinus.

27. At Elliesius reponit, hoc argumentum nullius esse momenti. Quantumvis enim Ioannes in Apocalypsi inter omnes Asiæ Episcopos compellet septem: hinc minime licet concludere, institutam tunc fuisse Metropolitanam dignitatem. Addit idem Elliesius, nullius quoque roboris esse isthanc consequentiam; quæ ex eo, quod Paulus instruens Asianos, scripserit ad incolas Ephesinæ urbis, quæ Asiæ Metropolis est. Et licet Apostolus hic in actis legatur Ephesi per triennium esse commoratus; haud tamen concludere hinc fas est, Metropolitanam Ecclesiæ dignitatem fuisse ab ipso institutam.

28. *Quarid.* Idem de Marca ex eo, quod urbs Corinthiorum fuit Metropolis Achajæ, sicque adeo Paulus Epistolam ad Corinthios scribens, hanc non pro illis duntaxat, sed pro fratribus etiam, qui erant in Achajæ, exaratam volverit; hinc subinfert, speciale Metropolitanæ juris à Paulo observati argumentum deprimi posse.

29. Verum Elliesius hanc consequentiam confutans reponit, concessis etiam, quod Paulus luam ad Corinthios Epistolam, non his duntaxat, sed etiam fratribus Achajæ, cujus erat Metropolis Corinthus, scriptam voluerit, et inde tamen haud confici, propositam fuisse Paulo, ut Corinthi Episcopus jura Metropolitanæ in omnem Achajam obtineret, sed quam universis Achajæ civibus scribe-

bat Epistolam, ideo à Paulo inscriptam fuisse ad Corinthios, quia urbs illa notior erat, facileque poterat Corinthiorum operâ illa pervenire ad Achaïorum omnium notitiam.

30. Pergit Elliesius, idem dari posse responsum ad simile exemplum petiti ex Epistola ad Thessalonicenses, in quâ Paulus simul ad omnes Macedonia fratres scribit. Hæc etenim & alia ejusmodi probant solummodo, illas urbes, in quibus erant sitæ Ecclesiæ, fuisse Metropoles; easque primas ac maximas totius Provinciarum: at Ecclesias ipsas Metropolitanas fuisse, minime demonstrat. Hæc igitur est inter Elliesium & Petrum de Marca concertatio, cujus iudicium relinquo Lectori, meam hæc de re sententiam inferri adducturus.

31. *Quintò.* Pergit Elliesius asseverare, non magis probabilem Patriarchatum institutionem asserri ab ijs, qui volunt, eas sedes, quas Petrus fundavit, esse Patriarchicas, atque hæc de causa Romanæ, Antiochenæ, & Alexandrinæ Ecclesijs jura Patriarchica esse concessa. Nam si inde repetenda esset Patriarchatum dignitas, innumera forent Patriarchales Sedes, quia innumeras Petrus fundavit, & rexit Ecclesias. Unde inferri ille Parisiensis Theologus, latum esse discrimen inter Apostolicam sedem & Patriarchalem. Nam multa Ecclesiæ, quas Apostoli instituerunt & rexerunt, dici possunt, & olim dictæ sunt Apostolicæ, non item Patriarchicæ. Sic enim Tertullianus in lib. de præscriptionibus. *Peregre,* inquit, *Ecclesias apostolicas, apud quas ipse adhuc Cathedra Apostolorum suis locis præsentur.* Inter quas nominat Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, quæ Sedes Patriarchales nec sunt, nec unquam fuerunt: quin etiam Ierosolymitana, in quâ Christus tamdiu habitavit, & in qua non modo Petrus, sed cæteri Apostoli primis Ecclesiæ temporibus sederunt, primitus non fuit Patriarchalis: quam tamen Augustinus contra litteras Petilianæ lib. 2. cap. 5. non veretur facere Apostolicam. Econtra verò Alexandrina Ecclesia, quam Marcus Petri discipulus, non ipse Petrus fundavit & rexit, secundum habuit inter Patriarchales sedes locum, quem deinceps Constantinopolitana obtinuit. Ergo Patriarchalis dignitas non repetitur à dignitate eorum, qui Ecclesiam fundaverunt, & primi rexerunt.

S. VI.

Quantumvis provinciarum ac Diocæceion Ecclesiasticarum dispositio facta esset ad formam politici regiminis: jurium tamen ac prerogativarum seu Metropolitanarum, seu Patriarchalium institutio in altioris rationis principium foret reducenda.

32. *Primo.* Elliesius cit. *Dissertatione i. S. 7.* hæc de re ita disseruit. Nemo, inquit, non novit, Imperium Romanum in Regiones & Provincias distributum fuisse, & Regionum



ac Provinciarum quasdam urbes primarias fuisse seu Metropoles, unde cætera totæ pende- bant. Itaque cum ad eas ob civilia nego- tia Provinciarum incolæ convenirent, inde tum judicia, tum etiam merces &c. petere solebant. Simile aliquid in rebus Ecclesiasti- cis Christiani fecere, & sive cum ordinan- dus, aut deponendus erat Episcopus, sive aliqua divisio erat in Ecclesia, sive cum in commune de rebus Ecclesiæ deliberandum erat, Apostolis jam in cælum sublatis, par- fuit, adire Metropoleos Episcopum, id- que paulatim per consuetudinem invaluit, sicque tota Ecclesiarum distributio facta est ad formam Imperij, urbesque Metropoles fuerunt Ecclesiæ quoque Metropoles, & il- larum Episcopus super universam Provin- ciam habuit potestatem, tum ad ordinandos, aut deponendos reliquos Episcopos, tum ad componenda Ecclesiarum dissidia, tum ad convocandas Synodos &c. ita tamen, ut sine comprovincialium Episcoporum consilio ni- hil faceret. Quæ consuetudo Canonibus de- inde confirmata est, totaque Ecclesia ad for- mam politici regiminis, disposita & distri- buta fuit.

33. *Secundò.* Pergit is Parisiensis Doctor. Eâ- dem ratione, inquit, urbes illæ, quæ Diœ- ceseos, seu regionis alicujus, plurimumque Pro- vinciarum erant capita, successu temporis quædam regiminis etiam Ecclesiastici jura in cæteras obtinere. Demum in tribus præ- cipuis totius Orbis Romani civitatibus, Ro- mæ in Occidente, Antiochiâ in Oriente, & Alexandriâ ad Meridiem, tres fuerunt præ- cipuæ Ecclesiæ, quæ primum inter alias ho- norem consecuta sunt, successuque temporis quædam in illas jura vel sibi vindicârunt, vel à Synodis concessa receperunt. His acce- ssit postea Constantinopolis, quæ secunda mundi urbs evasit, & Ierosolyma, quæ hunc honorem non propter magnitudinem civita- tis obtinuit, sed propter venerationem illius urbis, in qua primum à Christo instituta fue- rat Ecclesia, & ex qua Evangelium ad cæte- ras Orbis partes perlatum fuerat.

34. *Tertiò.* Quod prærogativa & privilegia Ecclesiarum reducantur in consuetudinem seu sui originem, præfatus Auctor probat ex Concilij Nicæni 6. can. Ubi statuitur, ut in hoc puncto antiqua obtineat consuetudo. Quod autem in dignitate Metropolitanâ alicui Ecclesiæ decernendâ, respectus sit habi- tus ad politicam civitatis præcellentiam, ar- bitratur ille Theologus, evinci ex Concilio Taurinenti, ubi sancitur, Præmum debere illi Episcopo, qui suam civitatem demonstrasset esse Metropolitanam: ad stipulante pariter Concilio Chalcedonensi actione 4. & 13.

35. *Quartò.* Ad demonstrandum, quod Pro- vinciarum & Diœcesum Ecclesiasticarum dis- tributio facta sit ad formam politici regimi- nis; Elliesius cit. *Dissertatione 1. §. 7.* præsup- ponit, orbem Romani Imperij quatuor Præ- torij Præfectis fuisse à Constantino Impera- tore commissum, quorum primus Orientem, secundus Illyricum, tertius Italiam, quartus Galliam fortitus fuerat.

Verùm attento, quod non nisi tres in Ec- clesiasticorum regimine primitus numerati sint Exarchatus, ille verò, qui postea eri- gebantur, Constantinopolitanus & Hieroso- lymitanus Patriarchatus, minime correspon- derint illis Prætorij Præfecturis, manifestum hinc elucet, Diœcesum Patriarchatum distri- bitionem haud fuisse coæquatam normæ poli- tici regiminis: maxime cum sub Orientis Præfecto contentæ fuerint quinque Diœceses, in quarum prima Caput erat Antiochia, decem sub se complectens Provincias, in secundâ ve- rò Ægypti scilicet Diœcesi Caput erat Alexan- dria, tribus distincta Provinciis: reliquis, nempe Ponti, Asiæ & Traciæ Diœcesibus se- riùs, vel nunquam in tanto saltem numero, quantus tot Diœcesibus responderet, Patriar- chalem prærogativam consecutus.

Nec porro in Præfecturâ Illyrici, cui duæ subjectæ erant Diœceses, altera Macedonia octo complectens Provincias, altera Dacia quatuor distincta Provinciis, Regiones hujus- modi quoad Ecclesiasticum regimen propor- tionabiliter exornabantur Exarchatus præ- minentia.

Sed quomodo res se habeat de Italia Præ- fecturâ, audire lubeat. Italia namque Præfecto parebant Vicariatus Romæ in eodem divisa Provincias, & Vicariatus Italiae, cujus Caput erat Mediolanum, septem constans provin- cijs: præter quas ad eandem Præfecturam spectabat Occidentalis Africa, & post mor- tem Constantini Illyricum quoque Occidenta- le. Num ergo dicere fas est, hinc singulis Italiae Præfecturæ subjectis Diœcesibus sin- gulos respondisse Exarchatus Ecclesiasticos?

Ne Metropolitanos quidem Africanorum Provinciarum semper ejusdem fuisse Sedes Episcopos, pluribus ostendit Elliesius præmi- ti §. 9. demonstrans insuper cit. §. 8. & sequenti §. 10. Galliam in quatuordecim Pro- vincias divisâ, unâ cum Hispaniâ quinque Pro- vincijs distinctâ, nec non cum unâ triplici Britannîa in quinque Regiones dispersâ, & Galliarum Præfecturæ subjectâ, non esse for- titam Patriarcham peculiarem ab Ecclesiasti- co Exarchatu Romano diversum: imò Galli- am ne huic quidem subjectam, nulloque Pa- triarchatu dotatam, contendit Elliesius in sui proinde dicti §. 8. fateri compulsus longè ex- actius in Oriente ac Illyrico Ecclesiam Imperij Romani distributione respondisse, quam in Occidente, illic enim vix ullam (cujus ta- men oppositum constat ex antecedentibus) oc- currisse alicujus momenti diversitatem, hic verò non unam: nam in Africa Metropoles Ecclesiasticas non respondisse Civitatibus, in Italia verò quatuor tantum fuisse Metropolita- nos, Romanum, cujus Provincia latissimè patebat, Mediolanensem, Ravennatensem, & Aquilejensem, ac præter hos in Insulis ad- jacentibus, Sicilia nimirum & Sardinia, Sy- racusanum & Calaritanum, posterioribus ve- rò sæculis exortam esse in Italia magnam Me- tropolitanorum turbam.

Quintò. His taliter constitutis, clarum redditur, Ecclesiasticarum Provinciarum & Metro-

Metropolitanorum terminos, nec non Dioceseon & Patriarchatum limites indebitè statui ex politici regiminis formà. Et licet hæc aliquam illi viam (uti constat ex num. 3.) præstruxisset quoad materialem duntaxat finium ejusmodi descriptionem, ista tamen in Ecclesiastici regiminis constituendis sphaeris, ac juribus seu Parochialibus, seu Episcopalibus, seu Metropolitanis, seu Patriarchalibus, ex altiori quopiam principio definienda erat. Videtur equidem Elliesius varijs in locis, seu paragraphis præsentis Dissert. Metropolitanarum seu Patriarchalium dignitatù institutiones unà cum eorundem differentijs ac prærogativis, reducere in antiquas Ecclesiarum consuetudines, ad stipulante etiam sexto Can. Nicæni Concilij, quo decernitur, antiquam servandam esse consuetudinem per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem.

41. Nihilominus de hac ipsa consuetudine disquirere licet, quàmnam fuerit primæva ejus origo: siquidem ad consuetudinem publici juris vires obtinentem introducendam, ex jure tam Civili, quàm Canonico requiratur publicæ auctoritatis consensus vel expressus ac personalis, seu tacitus & juridicus. Ex Can. final. de Consuet. & lege De quibus. ff. De leg. Unde quæsitio oritur, quàmnam fuerit, non politica utique, sed Ecclesiastica auctoritas, per quam subsisteret juri ac limitum Metropolitanorum, Patriarchaliumque origo ac præscriptio? Ipsemet namque Elliesius post medium præsentis §. 12. Jus Metropolitanæ super Provinciæ suæ limitibus inspectionis reducit etiam in 34. Canonem Apostolorum. Quomodo igitur istud jus in consuetudinem potius, ceu primævam sui originem, quàm in auctoritatem Apostolicam reducere fas erit? Quæ enim veritatis specie dicere liceret, in primitivâ Ecclesiâ Episcopos civitatibus secundum statum Politicum Metropolitanis præpositos spontè ac citrà majorem sibi assistentem auctoritatem, sibi cœpisse arrogare aliquam simplicis Episcopali jurisdictione superiorem supra cæteros Episcopos Provinciæ præeminentiam? Quomodo ex ratione credere fas est, Episcopos in tanto numero, quantus est in qualibet seu Provinciâ, seu amplissima etiam Antiochenâ, vel Alexandrinâ Patriarchatûs Diocesi, absque majoris auctoritatis interventu, se ipsos spontè ac liberè subjecisse tum Metropolitanarum, tum unâ cum istis, Patriarcharum illorum jurisdictioni? Quomodo ejusmodi Hierarchica Episcopaliurum juri erga Metropolitanas, atque horum erga Exarchos seu Patriarchas subordinationatio, vel ex aliquorum ambitione, vel ex præcise ad Politici Imperij fines respectu, absque supereminenti quopiam auctoritate statui valuisset? Hanc igitur supereminentiorem auctoritatem Hierarchicam, jurisdictionem, seu Episcopaliurum, seu Metropolitanarum, seu Patriarchalium, seu Christi in terris vicariæ coordinationis principium & originem mox inquiremus.

An Metropolitana & Patriarchica dignitates cum earundem juribus in Christum, vel in Apostolicam saltem à Christo immediate promanantem auctoritatem, ceu suum principium reducenda sint?

42. PRIMO. Cùm Ecclesiastica Hierarchia, secundum sacrosanctum Tridentinum Concilium Sess. 23. Can. 6. Divinâ ordinatione sit instituta, videtur consequens, gradus quoque Metropolitanarum atque Patriarcharum, ex quibus unâ & Papatûs præeminentiâ, Episcopaliurum jurisdictione redintegratur Hierarchicus Ecclesiæ status, subsistere ex Christi Domini institutione.

43. Verùm distinguere oportet in Ecclesiâ duplex genus Hierarchicum, quorum alterum complectitur Ordinem Sacramentalium divinitus constitutam subordinationem: in quo genere non est distinctio simplicis Episcopi, ac Metropolitani, seu Patriarchæ, imò ipse etiam Papæ, cùm in omnibus istis sit unus species, idemque character Episcopalis Ordinis, nec adeo gradus isti inter se constituunt ordinem Sacramentalium Hierarchiam, nisi quatenus cum Sacerdotij ac Diaconatûs, aliorumque Altaris Ministrorum ordinibus conferuntur: atque de hoc Hierarchiæ genere loquitur præcise Canon Tridentinus, dum eam decernit Divinâ institutam ordinatione. Alterum proinde Hierarchicum genus in sancta Christi Ecclesiâ importat jurisdictionis Ecclesiasticæ coordinationem, cujus Caput noscitur esse Papatus, Divino institutus jure, cui subordinantur gradus tum Patriarchalis, tum Metropolitanæ dignitatum, ut simplicis etiam Episcopatum jurisdictionis: qui gradus tum quoad Dioceseon ac Provinciarum, districtuumque Episcopaliurum limites, tum quoad speciales prærogativas (in quibus Patriarchia Metropolitanis intrâ suam Dioceseon constituitis, & Metropolita Episcopis suâ Provinciâ contentis, non honore duntaxat, sed etiam jurisdictionis potestate præest, ac præeminet) nequaquam sunt juris Divini à Christo immediate sanciti: quamvis mediantibus Apostolis seu Apostolicâ saltem auctoritate, perpetuo S. Ecclesiæ statui annexâ interveniente, in Christum ac jus Divinum sint meritò reducendi, unâ cum Hierarchicâ eorundem inter se coordinatione; uti mox elucidabitur.

44. Secundo. Si de Apostolorum personis circa rem præsentem sit sermo, ipsemet Elliesius tum in sue Dissertationis præloquio, tum in §. 6. faterur, Joannem cæteris Episcopis Apostolicâ dignitate superiorem, jam senio rem videri aliquam Ecclesiarum Asiæ constituisse formam, perinde ac cæteri quoque Apostoli fuerant Episcopis à semet constitutis superiores. Esto igitur, Apostolos Ecclesijs à se fundatis, illarumque Episcopis jura quædam peculiariter præ cæteris, & in cæteras minime concessisse, atque Patriarchatum seu Exarchatum & Provinciarum divisiones



liones non instituisse, atamen ex præinsinuatâ Elliesij confessione extat manifestum, Apostolicâ saltem auctoritatâ omnigeno Episcopatus, Metropolitanæque ac Patriarchalis dignitatis gradu superioris potestatem prævaluisse, ad formam Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quoad diversimodas jurisdictionum Ecclesiasticarum prærogativas instituendam. Nequæ Apostolis collectivè sumptis, seu in unum Oecumenicum Concilium coadunandis, tum singulariter Petro, ejusque adeo successori Divinitus est collata Apostolica auctoritas, ad perpetuum Ecclesiæ statum noscitur ex vi Divinæ institutionis propagata, & indefectibiliter propaganda. Quæ ergo post Apostolos in Ecclesia successu temporum sunt instituta Patriarchatum & Metropolitanarum Sedium, præ simplicibus Episcopatum jurisdictionibus dignitates, merito reducuntur in ejusmodi auctoritatem Apostolicam.


45. *Teriò.* Cùm Elliesius præsentis *Dissertationis* pag. 63. asseveret, antiquitus jam esse statutum, ut Episcopi electio confirmaretur ab Episcopis Provinciæ, præsertim à Metropolitanò, dilquiro, ex quâ, nisi Apostolicâ ad perpetuum Ecclesiæ statum vi Divinæ ordinationis transfundendâ auctoritate profuere potuerit hæc Metropolitanâ prærogativa? Ex quo enim fonte emanavit illud antiquitatis statutum, oportuit, majori Episcopis in terris pollere auctoritate, quæ antecessenter ad Patriarchatum & Metropolitanarum institutionem, non poterat alia esse, nisi Apostolica. Dum præfactus Auctor pag. 66. rursus affirmat, Pontifices Romanos ordinandorum per universum Occidentem Episcoporum, potestatem sibi vindicasse, quo alio, quàm Apostolicæ auctoritatis jure id facere potuissent. In hac enim fundatur Pallij quoque Archiepiscopalis cum plena in suam Provinciam potestate concessio, cui eodem Elliesio fatente, antehac annexa erant Metropolitanica quoque, ordinandorum Episcoporum jura. Quandoquidem Regni Francici Metropolitanorum jura, *specificè* quoad Episcoporum electorum confirmationem, ipsismet etiam Regijs concordatis ad stipulantibus, Elliesio *ubi supra* teste, sint translata in Romanum Pontificem: qui fieri hoc potuisset, nisi ad hujus auctoritatem Apostolicam, Episcopali & Metropolitanâ dignitate superiorem habitus fuisset respectus? Quando ipsomet insuper Elliesio pag. 69. fatente, etiam ante Concilium Nicænum Metropolitanis ex consuetudine jus fuerat, Episcopos Provinciæ convocandi ad Synodum: unde hoc jus nisi ex potestate Episcopis ac Metropolitanis superiore, adeoque Apostolicâ, potuerat ortum habere? Et quia jus Metropolitanicæ inspectionis subsistebat ex 34. *Apostolorum* per Elliesium *allegato Canone*, quâ ratione negare quis ault, id fundari in auctoritate Apostolicâ, tanquam primævo sui principio? Cùm præterea secundum Elliesium *præsentis* §. 13. Metropolitanæ olim fuerint ordinati ab Episcopis comprovincialibus; sed consuetudo postmo-

dum invaluerit, ut confirmarentur à Patriarchis: quâ nisi superiore, adeoque Apostolicâ in terris relicta auctoritate, fieri poterat hujusmodi juris vel dispositio, vel immutatio? Qualis Apostolicâ in Oecumenicis Concilijs etiamnum existens auctoritas ab auctore illo pag. 70. planè adstruitur, dum ait, à Synodo Chalcedonenſi fuisse illud ius concessum Patriarchæ Constantinopolitano, nec non Præsoli Ierosolymitano, ad Patriarchicâ erga Palæstinas dignitatem erecto. Cujus præterea Oecumenici Concilij auctoritate Apostolicâ factum esse, *præstatas* Parisiensis Doctor pag. 80. asseverat, ut à Synodo Provinciæ fas esset, recursum habere ad Synodum Diocesis.

Ad cujus rationis nostræ majorem firmitatem pro quarto expende mox deducendam rationem à priori, ex ipsismet Christi verbis auctoritatem Apostolicam instituens petitam. Duplex namque in Ecclesia Christi pro perpetuo ejus statu existit Apostolica auctoritas. Altera *16. Matth. cap.* ad solum Petrum cum jure successionis directâ, consistit in Clavibus Regni Cælorum, *indefinitè* ligandi & solvendi potestate stipatis. Altera dein *Matth. 18.* Collegio Apostolico quâ Ecclesiæ representativo, sicque Concilio Oecumenico, *vicariâ* Christi Apostolicâ auctoritate coordinato, per Christum concessa *indefinitè* ligandi & solvendi potestas noscitur ex præcælis Elliesij *12. & 13. §.* in pluribus Oecumenicis Synodis sanxisse varia Metropolitanicæ & Patriarchalis dignitatis jura, quemadmodum Concilij quoque Nicæni *Canon sextus* suâ auctoritate Apostolicâ firmavit consuetudinem præminentiarum Patriarchatum, Exarchis Alexandrino & Antiocheno intra limites ibidem delictos competentia: quamquam posteriores generales Synodi in his postmodum aliquam vel immutationem, vel restrictionem fecerint, pluribus præterea Patriarchalibus Sedibus erectis. Quis proinde negare ault Apostolicâ *indefinitè* Concilij Oecumenici per Christum concessæ ligandi & solvendi auctoritati vim inesse, sui ipsius aliquam communicationem sub majori, minorive extensione seu coarctatione faciendi, sicque tum *distictis* simplicium Episcopatum, tum Provinciarum Metropolitanarum, tum Diocesis Exarchatum seu Patriarchatum, cum quadam inter se subordinatione, juri quoque adeo solvendi & ligandi vel præminentiori sublimitate, vel deprelliore quapiam subjectione constituendi? Et quoniam clavium *indefinitè* potestas Apostolica *Matth. 16.* Petro, ejusque successoribus promissa, *Joannis 21.* fuit collata *aliquo* modo, per Christum ad unicum Petrum prolata verba, *Pasce oves meas: Pasce agnos meos.* Idcirco cùm & Episcopi & Archiepiscopi, & Patriarchæ sint Christi oves seu agni, noscuntur isti eatenus subiecti illi pastorali Oecumenico muneri, ut consequenter per illam potestatem Apostolicam possint Episcopi Metropolitanis, & hi Patriarchis subordineti, alioribus semper gradibus partem aliquam super subditis, de ligandi & solvendi potestate

state majorem communicando, sicque adeo Hierarchicæ subordinationis gradationes intra Ecclesiam decernendo: prout circa ipsam quoque Galliam à Romanis Pontificibus facturatum esse, mox ostendetur.

47. Nam quintò. Ipsemet Ellielius præfenti §. 10. profitetur, Arelatensem Episcopum in Gallia Sedis Apostolicæ Vicarium constitutum legi Epist. 5. hujus Pontificis ad Galliæ Episcopos, ubi hujus Vicariatus prærogativas etiam videre licet. Cujus Vicariatus jura latius extendisse videtur Symmachus Papa Epist. 10. ad Episc. Arelat. Eundem Vicariatum in Gallijs confirmat Auxanio Vigilius Epist. 8. & Pelagius Epist. 21. Gregorius item Magnus vices suas in Regno Childberti, usumque Pallij Vigilio Arelateni concessit lib. 4. Epist. 40. Ac demum Ioannes VIII. suas in Gallia vices Rothagno Episcopo Arelateni commisit. Idem postea titulus Bonifacio Moguntino Episcopo delatus est à Zacharia Papa Epist. 5. Rhemensis insuper Metropolitæ Primatum suæ Diœceles concessit Adrianus I. Epist. 15. ad Tilpinum Rhemensem. Trogoni Metensem Episcopo suum Vicariatum tribuit Sergius, juxta ejusdem Pontificis Epistolam relacam Tom. 7. Conciliorum columnâ 1799. Ioannes VIII. Vicariatum in Galliæ & Germaniæ provincias contulit per litteras ad Episcopos Galliæ datas, & relatas Tom. 9. Concil. pag. 221. Denique Gregorius VII. Primatum Ecclesiæ Lugdunensi concessit super quatuor Provincias, juxta litteras adductas Tomo 10. Conciliorum columnâ 220. & 221. quam Primatus, aut Vicariatus potestatem à Romanis Pontificibus Episcopis Gallicanis concessam, Ellielius circa finem disti §. 10. revocat ad sequentia capita: tum Formatarum tribuendarum, tum convocandi Concilij Diœcesani: tum referendi ad Pontificem de majoribus causis, tum cavendi, ut Canones observarentur, fidelesque maneret illibata: superaddito quandoque etiam jure appellationum à Metropolitanorum judicijs. En igitur clara inter Galliam argumenta præminentiarum Ecclesiasticarum in Metropolitanos & Primates collata per auctoritatem Apostolicam Romanorum Pontificum.



DISQUISITIO XI.

Quanta sit Romano Pontifici auctoritas erga jura Regia, causas Ecclesiasticas præsertim concernentia?

§. I.

1. Hæc disquisitioni ansam præbent, quæ tertio Declarationis à Clero Gallicano Parisijs anno 1682. editæ articulo habentur asserta: Valere scilicet regulas, mores, & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta. Num enim sub Regni institutis ac moribus, seu regulis hujusmodi intelligendæ etiam ex consuetudine, ac præsentia Galliæ jura, quæ ex Petro Pu-

teano de particularibus seu Regni, seu Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus; nec non à Petro de Marca de concord. Sacerdotij ac Imperij; uti etiam à Richerio circa Ecclesiasticam & politicam potestatem jaçitari solent, tamen præacti Puteani volumen, statim, ac prodijt in lucem, fuerit improbatum à Rege Christianissimo simul & Gallicano Clero. Quia verò ipsissimus hic liber Regni Gallicani Politicis ut plurimum est in usu, operæpretium visum est, ejus saltem Summarium limpidos vitæ sanctorum fidei puritatis studiosorum ob oculos ponere, ad effectum, à Christiani orbis partibus arceri periculosissima ejusdem axiomata. Quibus tamen consultò est præmittenda spiritalis ac temporalis potestatis distinctio ab ipsismet etiam Jurisconsultis Gallicis per Authorem tract. de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 10. cap. 1. relatis egregiè asserta & comprobata.

ARGUMENTA  
Caroli Fevret tract. de abusu lib. 1. cap. 7. n. 10. illius duplicis potestatis discrimen ostendentis & probantis.

2. Hic igitur Author affert in hunc finem duos sequentes Canones. Unus in Cap. Duo sunt. dist. 96. adductus ita se habet: Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Alter ab eodem citatus Canon ita se habet: Si Imperator Catholicus est, (quod salva pace ipsius, dixerimus) filius est, non Præsul Ecclesiæ. Quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere: habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis Divinitus consecutus est, ut ejus beneficijs non ingratus contra dispositionem celestis ordinis nil usurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis, non præferre. Idem omnibus istius distinctionis Canonibus statuitur.

3. Adducit etiam Fevretus ex Can. Quoniam. dist. 10. qui pars est Canonis, Cum ad verum. dist. 96. hæc verba nonnihil immutata: Sic Deus ailibus proprijs, & dignitatibus distinctis utriusque potestatis officia discrevit, ut & Christiani Principes pro æterna vita Pontificibus indigerent. & Pontifices pro cursu temporalium Imperialibus legibus uterentur. Quatenus spiritualis actio à carnalibus distet incurfibus; & militans Deo, negotijs non se implicet secularibus: ac vicissim Divina non attingat, qui est temporalibus intentus. Sunt etiam in hac dist. 10. alij Canones huc pertinentes.

4. Laudat Justiniani Novell. 6. in præm. unde parva exscribit, sed, omiffis illis, quæ clarius distinctionem designant. Sic autem habet Novellæ 6. præfatio: Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei à supernâ collata Clementiâ, Sacerdotum, & Imperium: illud quidem Divinitus administrans; hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.

A a a Ad-